


59.

MANIBUS
BLANCKIANIS
SACRUM.



THORVNII, imprimebat Johannes Balthasar Biesler.

Muli de A. fol. 3. art. 19.

Non

plus ultra,
sed hic subsiste,
utrumque advertendo oculum
Animi & corporis,

Viator,

Gesta & Fata narrantur;
Lege, aspice, audi.
Inquiris, cujus?

En accipe brevissimis,

CELEBRIS ÆSCULAPII MYSTÆ

DANIELIS BLANCKII.

Viri apud externos magis quam
Domesticos clari.

Primam ejus lucem ostendit Annus M DC XVII.

Mense finiente annum,
ominaturus

non procul à fine Seculi
Lucis suæ vitalis occasum.

Patriam nactus *Dantiscum*

Literatis in qualibet facultate
refertissimum;

Patrem Michaellem Blanckium,

Omnipotentis animarum Medici *Mystam.*

A Paternis

non alienus vestigiis,
nisi in eo,

quod Pater Medicinam dederit
ex horto scripturæ,

Filius Medicinam præscripserit
ex apparatu naturæ.

Uterque antidotum paravit,
Ille adversus spirituales,

hic adversus naturales morbos.

Patrium cælum linquere voluit, quam spectare,
scilicet,

Ut trans mare currens non cælum sed animum mutaret.

Honestos sectando mores

Magnos indeptus est honores.

Ad Bonarum Artium Mercaturam contendens

Inter mercatores Lugduno - Batavos Artium studia inchoavit,


Apud Transalpinos continuavit,

Ingeniorum Matrem *Patavinam Academiam* invisit,

Inque

Inque ea Doctrinâ & morum gravitate inclaruit,
adeò ut

Invito et si Fasces *Pro-Rectoris Magnifici* offerrentur,
quorum honorum semper-vivam Memoriam
etiamnum *Paduæ* conspicuam
typus hic Lectori exhibet.



Biennium post à Schola *Patavina*

adscriptus Doctoribus,

altero testimonio clarus arte Medicâ,

altero clarior regimine & consiliis.

Elogio Ornatus doctissimorum virorum doctissimis,

Octavii Ferrarii, Joannis Rhodii, Bartholini, Heinsii,

Et qui doctos inter eminet,

Fortunii Liceti,

Pro-

Promotoris in Promotione designati,
Qvi nominati sunt instar omnium.

Absoluto extra Patriam octennio
Patriis se Laribus & Civibus reddidit.

Sed quæ ejus gesta hîc?

In consortium vitæ legerat sibi lectissimam Fœminam

CORDULAM GENTE MARCAM.

Ast cheu! vix ad quintum mensem sibi sociatam,
Maturè nimis cum dolore dolentis Blanckii
Floris instar emarcidam.

Carpto hoc gaudio nihil decerpebatur
Honorì ejus.

Nam Pharmaca salutaria præscribendo
Felix imò morbosos sanando
innotuit

tam plebeijs hominibus, quam magnatibus.

Evocatus hinc ad aulam

Feliciter Regnante Serenissimo MICHAELE, Poloniae Rege,
Regi, Regiæque Familiæ
à Consilijs Medicis fuit.

In castro Samolciano, ob artem Medicam
& conversationem lautè habitus,
vitæ dies explere animo ejus infederat.

Sed ne

Agnatis & in his *Amitæ* Nobilissimæ
seipsum invideret,

Senex *Thorunium* nostrum salutavit,
de Beneficiis *Suorum* participavit,

&

vitæ omnis pertæsus destinata cœlitus hora
ætatis suæ 73. animam efflavit.

Non luge, **Viator**, obitum,

Qvem putamus esse abitum.

Cujus medicatio erat perpetua mortis meditatio,

Cujus corpus vivum erat verum *exaltitio*.

Ille tibi, **Lector**, non vitam

tu

Ipsi non invidabis requiem,

Sed cogita

Mortem Medicum æquare mendico.

DANIEL KÖHLER,
S. L. C.